

Patrem habuit *Balthasarem Schulerum*,
virum honoratum, & in patria Consulis
officio

*Quaeque per aethereos fecit vestigia pisces,
Vecta volubilibus lubrica diu rotis.*

*Alta frequentabis magnorum limina Regum,
Digna tuo quorum carmine facta canes.
Hinc tibi diuitiae, seros hinc nomen in annos,
Magnaque continget gloria, magnus honor.
At procul externas urbes & regna vi-
debis,*

*Immensaeque feres taedia longa viae.
Italiam per mille petes discrimina rerum
Carpere difficili tempore jussus iter:
Non ut militiae studium, vel castra sequaris,
Ferre proque tuo Caesare bella geras,
Acriter Insubres dum fortibus asserit armis,
Et Ligurum captas Marte tuetur opes;
Inde sed ut ducas gelidam rediturus ad Ar-
cton,*

*Virgineo castas ex Helicone Deas.
Adriacam, veniens istuc, miraberis urbem,
Inque procelloso moenia jacta mari.
Nec non Euganeis quos aduena fertur in oris
Antenor, positos constituisse lares.
Hinc, Caput Imperi Romam visurus, abibis,
Per quam coerulei Tybridis unda fluit.
Parthenopenque petes, docti quae sacra Ma-
ronis*

*Ossa, sub herbofo condita monte, tegit.
Italiae*